

cum fratribus plùs aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris coniunctionem, et caritatis clamorem felici societate, complexas, optimum esset, ubi commodè fieri posset, ut quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus et singulis dioecesis in more poneretur; nimirum ut singulis diebus, dato certo campanarum signo, sive in ecclesiis, dummodo totius populi multitudo unum in locum, ubi oret, masculis è feminis seorsim collocatis, convenire facilè possit, et nulla suboriatur confusio et inordinatio; sive in propria domo patrisfamilias eo, aut alio opportuniore tempore, ante imaginem sacram cum tota familia convenientes orent.

Ea propter vos, venerabiles fratres, rogamus et in Domino hortamur, ut in omnibus et singulis ecclesiarum piorumque locorum, in civitatibus quidem cathedralibus, aliarumque praecipuarum ecclesiarum, in oppidis verò parochialium ecclesiarum superioribus ac rectoribus iniungatis, ut praemisso campanae sonitu iis diebus,isque horis, quibus vobis opportuniùs in Domino visum fuerit, dando decernendoque, omnes Christi fideles uniuscuiusque curae commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peritos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accedere, necessitatem utilitatemque proponere, indulgentiarum thesauros quos de benignitate apostolica elargimur, explicare, et ad ipsos, eà quae decet pietate ac reverentià, lucrandos inflammare studeant et enitantur, atque etiam, si commodè, ut praemittitur, fieri poterit, orationi mentali, in communi practica, ut dicitur, vocare, in eaque exerceri faciant et curent. Praesentibus perpetuò futuris temporibus valituris, etc. Datum Romae, die 16 decembris 1746, pontificatus nostri anno septimo.

## ARTICULUS II.

## CONTINENS MEDITATIONES DE VARIIS ARGUMENTIS.

Cùm missa et communio actiones sint quae singularem exigunt pietatem, et eam à *consideratione* potissi-

mùm pendere doceat sanctus Bernardus, ideo ut illius sensus in se possint sacerdotes et communicantes facilius excitare, selectas hic ponimus meditationes: 1.º de sanctissimo Eucharistiae sacramento; 2.º de statu sacerdotali; 3.º de nonnullis Christi titulis ex opere P. Dom Antonii Molina carthusiani, hispano idiomate: *Instrucción de sacerdotes*. V. P. Ludovicus à la Puente, societatis Iesu, in suis *Meditationibus spiritualibus*, copiosam pro toto anni curriculo ad meditandum materiam solidissimam, divinàque unctione relectam tibi exhibere poterit.

## § I.

## MEDITATIONES DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

## MEDITATIO I.

*Institutio sacramenti Eucharistiae.*

1. *Accipite et comedite: hoc est corpus meum.* (Matth. xxvi, 26). Crede primùm, vivà fide, carnem, sanguinem, animam Christi, deitatem et quidquid est Deus, esse in sanctissima Eucharistia, sive vi verborum, sive per concomitantiam. Admirare Dei sapientiam, quae invenit novum modum se nobis communicandi. Obstupesce et lauda omnipotentiam quae uno momento, paucis verbis, illa omnia sub speciebus panis et vini ponit. Agnosce infinitum amorem quo hoc facit. Sicut Pater sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; ita et Filius, ut seipsum daret, ut sit nobiscum usque ad consummationem saeculi. O admirabilis et amabilis Deus! Quòd de te cogitaverit, ut incarnaretur, quantum est! sed quantò maius, quòd velut denuo nascatur, et omnia secum afferat quae tunc attulit? *Quid retribuere Domino?*

2. *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accipiens panem, etc.* Considera tempus huius institutionis. Erat

illud ipsum quo eius vitae struebantur insidiae, quo ferebant odia iudaeorum in illum. Sic aquae persecutionum non potuerunt extinguere caritatem eius; sic amat nos etiam cum inimici sumus. Tormenta igitur vicina, crux, infamia, non causerunt separationem Christi à te, sed maiorem coniunctionem, per hoc amoris et unionis Sacramentum. *Quis ergo te separabit à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum?* (Rom. viii, 35). Conclude magno ardentique amore: *In his omnibus superabo propter eum qui dilexit me.* (Ibid. v. 37).

3. *Et manducantibus illis, accepit Iesus panem.* (Marc. xiv, 22). Considera quos Christus adhibuerit convivas; Apostolos nempe, et inter eos, ut communiter creditur, etiam Iudam. Sed quanta sumentium diversitas! illi, corpore simul et spiritu ardentissimae devotionis: iste solum corpore, spiritu autem in proditorem Christi intento. Vide belluam illam hoc amoris cibo non mitigatam, et adverte quomodo scelera in catenam eant, cum passio, ex qua ortum trahunt, non tempestive opprimitur.

## MEDITATIO II.

*Sanctissima Eucharistia est memoriale passionis Christi.*

1. *Hoc Sacramentum instituit tanquam passionis suae memoriale perenne.* (S. Thom. Opusc. 3). Cruenti sacrificii ut perennis exstaret memoria, incruentum instituit quotidie peragendum. Semel pro nobis immolatus, invenit modum quo saepius immoletur. Ergone putandum est Christum toties pro me mori? Agnosce amorem. Sed nihil reddis, nisi et tu quotidie immoleris. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis.* (Gal. v, 24).

2. *Hoc facite in meam commemorationem.* (Luc. xxii, 19). Quanti ipse suam passionem fecerit hinc aestima, quia voluit ipse seipso eius esse memoriale. Obligat hoc te ad continuam tanti beneficii memoriam, non quae in sola cogitatione sistat, sed quae in affectum et opus

transeat. *Qui enim passionis Dominicae mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus.* (S. Greg. Dial. l. iv, c. 59).

3. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* (I Cor. xi, 26). Quoties Eucharistiam sumis, cogitare mortui Christi sepulchrum esse. Non erit dignum, nisi sit novum; voluit enim poni in monumento novo. Non eris novus, nisi veterem hominem occidas. *Necesse est ut, dum haec agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus.* (S. Greg. sup.). Quid ad hoc ais? expedi arma, et te hostiam ei exhibe qui se dedit hostiam pro te.

## MEDITATIO III.

*De dignitate sumentis Eucharistiam.*

1. *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* (Ioan. xiv, 23). Qui sumit Eucharistiam fit Dei habitaculum. Ut intelligas quanta sit haec dignitas, cogita viscera beatissimae Virginis, in quibus primum homo factus habitavit, quantis illam gratis cumulavit! At is ipse est, qui in Eucharistia ad te divertit. Quanta est huius dignatio! At noli permittere ut in te divertant foeda animalia infrenium passionum.

2. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* (Ioan. vi, 57). Non solum fit habitaculum Dei qui Eucharistiam sumit, sed admirabili quadam unione fit unum cum eo. Assequere, si potes, quanta sit haec dignitas, uniri humanitati Christi, et veluti, eà mediante, ipsi personae Verbi et toti Trinitati, quae concomitanter in Eucharistia sumitur. Considera ad quid te impellat tanta gloria; ut qui uniris Deo, avellaris à luto creaturarum rerum; ut dicta, facta, cogitata tua sint talia, quae non dedeçant membrum Christi.

3. *Ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* (Ioan. vi, 58). Excellentiam unionis cum Christo adverte. Sicut Filius accipit à Patre essentiam, vitam et omnes perfectiones, ita ut sit unus

Deus cum Deo Patre, et in eo vivat, easdemque cum illo perfectiones habeat, idem intelligere, idem velle et operari; ita, per Eucharistiae sumptionem, sis particeps vitae et perfectionum Christi. Debes ergo idem cum illo sentire, velle, agere, pati. Efficiet id unitus tibi Christus, nisi tu obstas.

## MEDITATIO IV.

*De dispositione ad sanctissimam Eucharistiam sumendam.*

1. *In sole posuit tabernaculum suum.* (Ps. XVIII, 6). Curanda summa puritas animae, in quam venturus est Christus. Exigit hoc summa sanctitas et maiestas hospitum. Expende enim quis, et ad quem ingreditur. Si matrem quae conceptura erat Filium Dei, decedat tantâ puritate nitere, quâ maior infra Deum excogitari non potest; te idem decet, qui eundem excipis. At puritas non est sola ab omni peccato immunitas, sed etiam affectuum purgatio et virtutum ornatus. Potesne sic te mundum dicere? Quanto labore opus est ut huc pervenias! Pervenies, si seriò voles. Dic cum leproso (Matth. VIII, 2): *Domine, si vis, potes me mundare.* Confide: extendet manum suam, et dicet: *Volo, mundare.*

2. *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso.* (Apoc. II, 7). Id est, ut ait scriptor quidam, quod est in Ecclesia militante per praesentiam corporalem in Sacramento altaris. Ut hoc fruaris mysterio, necesse est ut te vincas, et appetitum rationi, rationem Deo subicias. Non satis ergo dignè accedis, si te non vincis. Quantus tibi in te ipso victoriarum campus! superbia, ambitio, tui aestimatio, vanae gloriae cupiditas, ira, impatientia, languor in spiritu, tepiditas, et alia quae tu nôsti, haec devince, et dabitur tibi *de ligno vitae*. Quàm alius esses, si quoties ad hanc escam accessisti, vel unum ex his hostibus subiugasses!

3. *Ecce ego pluam vobis panes de coelo; egrediatur populus, et colligat.* (Exod. XVI, 4). Promittitur hic manna, figura Eucharistiae, et quidem ad instar pluviae

super iustos et iniustos cadentis. Quae bonitas Dei se tam prodigè largientis! sed ut eo potiaris, necesse est te egredi. Unde? aut quò? Respondet Rupertus, l. III, c. 11, in Exod., *de pristina conversatione, de vetustate vitae.* *Nondum enim deposito vetere homine, non est nobis hoc manna colligere.* Expende quàm vivat in te vetus homo; quanta in eo occidere debeas, ut induas novitatem vitae.

## MEDITATIO V.

*Item de dispositione ad Eucharistiam sumendam.*

1. *Pauperes eius saturabo panibus.* (Ps. CXXXI, 13). Felix paupertas, quae sola, ut ait Rupertus in c. VI Ioan., *edit magnam eleemosynam Regis regum, quam dat ipse, non aliam quàm seipsum!* Datur ergo ille panis ut eleemosyna magni Dei. Exinanire, exinanire, ut pauper, illâ fias dignus. Eice amorem saeculi et vanitatum eius. Indignè eleemosynam accipit qui dives est; indignè Eucharistiam, qui saeculo affectus est. Scito, *qui esurientes seu pauperes implebit bonis, ille divites dimisit inanes.* Et haec est fortè causa tam parvi fructûs à te relati, ex tam frequenti huius mysterii sumptione.

2. *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* (Ioan. VII, 37). Sitis quaedam et fames, ac vehemens desiderium afferendum est ad hunc cibum. Fons ille sacramentalium gratiarum non patet, nisi sitiienti: *Sitiienti dabo de fonte aquae vitae.* (Apoc. XXI, 6). Oportet, namque, ait S. Bern. serm. 31 in Cant., *ut sancti desiderii ardor praecedat faciem eius ad omnem animam ad quam est ipse venturus.* O tepida anima! Nonne sacrilegium crederes nauseare cibum istum pretiosissimum? Certè proxima nauseae es, si non desideras. Excita ergo, quoties accessura es, fervens desiderium; quod nascitur ex actuali fide dignitatis huius cibi, amoris Dei in te, fructuum ex Eucharistia dimanantium, etc.

3. *Cùm invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco.* (Luc. XIV, 8-10). Ad nuptiale convivium Dei se tibi desponsantis accessurus es; quis tu? quis ille? Agnoscis in eius maiestate tuam indignitatem? Sed

dignus fieri potes, si corde sincero sis humilis. *Respexit humilitatem ancillae suae* (Luc. 1, 48), ut eius sacratissimum uterum subiret; non despiciet tuam humilitatem. Et quanta te deprimendi materia, si bene expendas! quis tu? quis ille? Exclamare magno iure debes: *Quis ego sum servus tuus: quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* (II Reg. ix, 8).

## MEDITATIO VI.

*De effectibus sanctissimae Eucharistiae sumptae.*

1. *Accedite ad eum, et illuminamini.* (Ps. xxxiii, 6). Accedentium ad Christum fructus est, quò intellectu illuminentur ad cognoscenda altissima mysteria. Ipse lux est quae illuminat omnem hominem. (Ioan. 1, 9). Expende tenebras tuas. Heu quantum ad divina caecutis! Scisne quòd in fractione panis aperti sunt oculi discipulorum? (Luc. xxiv, 31). Ecce idem caecitatis tuae medicus est. Idem qui quòd ex caeco olim Ierichuntino, ex te quaerit: *Quid tibi vis faciam?* (Luc. xviii, 41). O benignitas praeventis! Dic fidenter cum eodem: *Domine, ut videam te, videam me.*

2. *Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilae iuventus tua.* (Ps. cii, 5). Senescit anima, cum ad virtutem languet; iuvenescit cum viget. Senio hoc frequenter et tu occuparis; sed in novitate vitae ambulandum est. Ut renovetur autem iuventus tua, aptissimum remedium est sancta Eucharistia, ut Deus repleat in bonis desiderium tuum. Si ergo, ex S. Hier. in c. iii Ezech., hoc solum habemus in praesenti saeculo bonum, si vescamur carne Domini, ex hoc dignè sumpto iuvenesces. Aestima, lauda, ama, anhela; et quoties accedis, aliquid veteris hominis depone.

3. *Eurgens Maria, abiit in montana cum festinatione.* (Luc. 1, 39). Effectus hic fuit concepti Dei. *Quòd enim iam Deo plena,* ait S. Ambr., *nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Eundem accipis in Eucharistia, quem Virgo concepit. Idem in te, nisi tu obassis, operabitur; ut ardente voluntate ad ardua virtu-*

tum contendas, et quidem magnà festinatione ad apicem perfectionis pervenias. Cooperare id desideranti Deo, ne te semper, per tuum languorem, in imo reperiat. Elebabit te Deus, sed non sine te.

## MEDITATIO VII.

*De aliis effectibus sanctissimae Eucharistiae.*

1. *Panem Angelorum manducavit homo.* (Ps. lxxvii, 23). Dicitur sanctissima Eucharistia panis Angelorum, non quòd Angeli eà vescantur, sed quòd homines sumentes veluti Angelos efficiat. Ita Hugo card. in capite xxxi Prov.: *Datus est hominibus, ut fiant Angeli.* Quae tua est felicitas, si fias velut corporis expers, totus spiritualis, tentationum immunis, à passionibus liber! Certè si nondum factus es talis, tu impedivisti. Et quae haec tua insania, cum possis, nolle ad angelicam perfectionem evadere?

2. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* (Ioan. 1, 12). Effectus sanctissimae Eucharistiae est, ut te faciat filium Dei, non quidem naturalem, sed adoptivum. Per quod simul intras in ius haereditatis: si enim filii Dei sumus, et haeredes. (Rom. viii, 17). O mira dignatio! Expende quem patrem habeas! quem fratrem! quo affectu, quà reverentià et fiducià in eum ferri debeas! sed quàm degener tu fuisti hactenus filius et frater! Non te pudet! Sed quid eris in posterum, ut dignè patrem voces Deum, fratrem Iesum? *Agnosce dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem hominem degeneri conversatione redire.* (S. Leo).

3. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* (Ioan. vi, 57). Altius ascendit dignitas quam per sanctam Eucharistiam obtines; non tantum sis filius Dei, sed velut unus cum Deo, ut is in te maneat, et tu in illo. Sed necesse est ad hoc, ut moriatur in te quidquid tu es, vivat solùm quod Deus est. O quando erit illud tempus, quo cum veritate

dicere possis: *Vivo autem, iam non ego; vivit verò in me Christus?* (Gal. II, 20).

## § II.

## DE STATU SACERDOTALI.

## MEDITATIO I.

*De excellentia huius statûs.*

Quanta illa sit dignosces, 1.<sup>o</sup> ex praeclaris sacerdotum nominibus. — Vocantur enim in sacris Scripturis et à sanctis Patribus passim, *angeli Domini, vicarii Christi, Dei homines et adiutores, lux mundi, sal terrae, duces et rectores gregis, mediatores inter Deum et populum, clavigeri coeli, salvatores terrae, terreni dii*, etc. O gloriosae appellationes! Sed num in te vacuae? Stude earum implere significantiam, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, crimen immane. (S. Ambr.).

2.<sup>o</sup> Ex honore sacerdotibus debito et impenso. — Ferè enim Deo aequiparantur. *Honora Deum*, ait Scriptura, *ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes*. (Ecclesiastici, VII, 33). *Nolite tangere Christos meos*. (Psalmus CIV). *Qui recipit vos, me recipit*. (Matth. X, 40). *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*. (Luc. X, 16). Beatum Antonium sacerdotes in summa veneratione habuisse, solitumque iisdem caput submittere, refert sanctus Athanasius. Constantinus Magnus eos ut patres, imò verò ut Dei prophetas, omnino honorificè reverebatur, ex Eusebio. Nec minùs illorum reverentes sunt Angeli, qui per sacrificii tempus ipsis assistant et quasi famuli assistunt, ex sanctis Augustino et Chrysostomo. Quid ergo, si vilâ sacerdotali persona indigna, dedecus tibi pareres! Longè abice à te quidquid eam non decet; sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, etc. Sic cum Apostolo, *ministerium tuum honorificabis*.

3.<sup>o</sup> Ex sacerdotalis statûs institutione, seu origine et fine. — Etenim primò quis huius auctor? Audi sanctum

Chrysostomum: *Sacerdotium, inquit ille, in terra quidem peragitur, sed in rerum coelestium classem ordinemque referendum est: atque id perquam meritò; quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quaevis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem huiusmodi disposuit. Et quo quidem fine? ut nempe qui in illum adlegerentur, toti incumberent ad procurandam divinam gloriam et dirigendos fideles in viam salutis. O praestantissimam et sanctissimam vocationem! Summas agas Deo gratias, qui tuam hanc esse voluit, et vide ut illam impleas.*

## MEDITATIO II.

*De eodem argumento.*

1. *Intuere iterum quantus sit sacerdos novae legis! Ipsum (Dominus) elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum et bonum odorem, habere laudem in nomine eius; in memoriam placare pro populo suo; et dedit illi in praeceptis suis potestatem, in testamentis iudiciorum, docere Iacob testimonia, et in lege suam dare Israël.* (Eccli. XLV, 19-21). Num mortalis homo ad maiora potest eligi et applicari? Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, qui ad tantum evectus es dignitatis gradum. *Monstruosa enim res est, ut loquitur S. Bern., gradus summus, et animus infimus.*

2. Sed quale rursus est officium sacerdotum? *Ipsis datum est, ait pius auctor L. de Imit. Christi, Dominum maiestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et caeteris ministrare.* O quàm magnum et honorabile est istud officium! *Excedit, inquit S. Ephrem, intellectum et orationem; et sicut arbitror, hoc est quod Paulus, quasi in stuporem mentis actus, innuit exclamans: O altitudo! Quid retribuam tibi, Domine, pro gratia ista? Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae! Sic volo; sic desidero; et quidquid mihi deest, tu digneris supplere.* (L. 3 de Imit. cap. 10).

3. *Sed et alia his nihilò inferiora, inquit S. Chrys.*

l. 3 de Sacerd. c. 4., *operantur sacerdotes. Etenim his commissum insuper est, ut ea quae in coelis sunt, dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est: Quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur eis, etc. Quatenam, obsecro, potestas hæc undè maior esse queat? Nam quasi iam in coelum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti; sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid plura?... Hi sunt quibus tum concredita sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus est à Deo commissus: per hos ipsos Christum induimus; una cum Dei Filio sepelimur, et beati illius Capitis membra efficimur, nec citra illorum opem, aut gehennae ignem evitare, aut repositae in coelo coronae praemia assequi possumus. O sacerdotes Domini, quantam dignitatem contulit vobis Deus! Quanta est praerogativa ordinis vestri! Assimilati estis Filio Dei. Hoc sentite in vobis quod et in Christo Iesu; et virtute tales estote, ut non minus merito quàm gradu praeclatis.*

## MEDITATIO III.

*De sanctitate sacerdotali.*

(Ex lib. IV. de Imit., c. v.)

1. Si haberes angelicam puritatem et sancti Ioannis Baptistae sanctitatem, non esses dignus hoc Sacramentum accipere, nec tractare. Non enim hoc debetur meritis hominum, quòd homo consecret et tractet Christi Sacramentum, ut sumat in cibum panem Angelorum. Grande mysterium et magna dignitas sacerdotum, quibus datum est quod Angelis non est concessum! Soli namque sacerdotes in Ecclesia ritè ordinati, potestatem habent celebrandi et corpus Christi consecrandi. Sacerdos quidem minister est Dei, utens verbo Dei per iussionem et institutionem Dei; Deus autem ibi principalis est auctor et invisibilis operator, cui subest omne quod voluerit, et paret omne quod iusserit.

2. Plus ergo credere debes Deo omnipotenti, in hoc excellentissimo Sacramento, quàm proprio sensui aut alicui signo visibili. Ideoque cum timore et reverentia ad hoc opus est accedendum. Attende igitur et vide cuius ministerium tibi traditum est per impositionem manûs episcopi. Ecce sacerdos factus es, et ad celebrandum consecratus: vide nunc ut fideliter et devotè in suo tempore Deo sacrificium offeras, et te ipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleviasti onus tuum, sed arctiori iam alligatus es vinculo disciplinae, et ad maiorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, et aliis bonae vitae exemplum praebere. Eius conversatio, non cum popularibus et communibus hominum vitis, sed cum Angelis in coelo, aut cum perfectis viris in terra.

3. Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit, ut Deum pro se et pro omni populo suppliciter et humiliter roget. Habet ante se et retrò Dominicae crucis signum, ad memorandam iugiter Christi passionem. Ante se, crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, et sequi ferventer studeat. Post se, cruce signatus est, ut, adversa quaelibet illata ab aliis, clementer pro Deo toleret. Ante se crucem gerit, ut propria peccata lugeat. Post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat; et se medium inter Deum et peccatorem constitutum esse sciat; nec ab oratione, nec ab oblatione sancta torpescat, donec gratiam et misericordiam impetrare mereatur. Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adiuvat, defunctis requiem praestat, et seipsum omnium bonorum participem efficit.

## MEDITATIO IV.

*De scientia sacerdotali.*

1. Considera quanta sit in sacerdote scientiae necessitas. *Praeceptum sempiternum est, aiebat olim Deus ad veteres sacerdotes (Lev. x, 9, 10), ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum. Labia sacerdo-*

tis, dicit apud Malach. cap. II, *custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius. Oportet, inquit Apostolus, I Timoth. II, episcopum esse doctorem. Indoctus et imperitus sacerdos, praeterquam quodd seipsum et Ecclesiam dedecorat, impar omnino est erudiendis et exhortandis, ut necesse foret, populis; quos propterea ignorantiae tenebris obvolutos, in vitia et in interitum ire oportet. Hinc Deus et Ecclesia pariter repellunt volunt à sacerdotio, qui repellunt scientiam. (Osee, IV, et Dist. 36, c. 1). Numquid tu ex illis es? Ingemisce super tua ignavia; Dei metue maledictum; et ad illud avertendum, unà cum malis ex ignorantia sacerdotum nasci solitis, beatissimi Petri sequere consilium, et omnem curam subinferendo in virtute tua ministra scientiam, ut doctrinam aequè ac vitam aedificare possis domum, id est familiam Dei.*

2. Considera qualis esse debeat sacerdotis scientia. Scire debet, 1.º quae requirantur et conducere possunt ad propriam sanctificationem et perfectionem, v. g. modum orandi mentaliter, discutiendi conscientiam, et alia peragendi spiritualia exercitia; 2.º quae pertinent ad missae sacrificium, ad divinum officium et utriusque ritus ac ceremonias; 3.º quae necessaria sunt ad fideliter et utiliter implendum institutionis populorum munus, et ritè ministranda Sacramenta. Qua de causa non potest satis lectioni sacrarum litterarum et probatorum auctorum incumbere et attendere. Diligenter hic examina conscientiam tuam. Quid hactenus fecisti ad comparandam tibi necessariam scientiam? An calles omnia quae scire teneris, sive ut christianus, sive ut minister Christi? Num te latent plura ex his quae debes aut Deo, aut tibi, aut proximo? Ad excutiendam socordiam cogita frequenter quia *ignorans ignorabitur.*

3. Considera quibus modis adipisci valeas scientiam sacerdotalem. Praecipua sunt: 1.º oratio, cuius ope plus Sancti profeerunt quam lectione (testis est sanctus Thomas); 2.º improbus labor, assiduam studium, quod idcirco suo Timotheo commendabat Apostolus, et ipse non negligebat, patet ex II Tim. VI, 13; 3.º frequens,

de iis quae lecta sunt, cum peritis collatio. Denique purgatio interioris oculi seu intentionis; ita ut in acquisitione et usu scientiae, non inanis intendatur gloria vel curiositas, sed sui vel proximi edificatio. Quoniam plerique sacerdotes horum mediiorum nullum ferè habent usum, hinc non mirandum quodd tanta inter ipsos existat ignorantia. Cave ne eiusdem reus fias negligentiae; sed nihil ex praedictis omitte, quae si tecum adsint et superent, non vacuum, nec sine fructu te constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

## MEDITATIO V.

## De zelo sacerdotali.

1. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum. (III Reg. XIX, 14). Qui non zelat, ex S. Aug., non amat. Qui autem non amat, quo in statu manet? In morte, ait S. Ioan. O luctuosa innumerorum sacerdotum sors! Tantò plus divinam gloriam zelare debet sacerdos, et in ea augenda allaborare, quantò Deus ipse plus ei honoris contulit et gloriae; contulit autem ultra omnem expectationem; cum honor sacerdotalis quo illum dignatus est, nullis possit comparationibus adaequari, ex S. Ambr. An non deceat ut modis omnibus glorificet eum à quo sic glorificatus est? Profetò ait S. Ign. Mart., et criminose omnino huic deesset officio; praesertim cum, ut observat conc. Med. 4, hanc tantum mente sit ex hominibus assumptus, et in ecclesiastico ordine constitutus. Tu ergo, ó homo Dei! assume zelum pro sancto eius nomine, et in illius gloria conservanda ac propaganda totus esse coneris, memor huius quod scriptum est: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* (I Reg. II, 30). Gema super universis quae in ipsum quotidie committuntur. Quot potes oppone bona opera; et in omnibus tuum hoc sit verbum atque symbolum: *Ad maiorem Dei gloriam.*

2. Ego libentissime impendam, et superimpendam ipse pro animabus. (II Cor. XII, 15). Si vis officium exer-

*cere presbyteri, hoc in te sentias oportet, et aliorum salutem, ut ait S. Hier., lucrum facias animae tuae. Iuxta S. Clem., Const. Apost., l. 8. cap. 16: Episcopus olim presbyteris, ex Apostolica traditione, significat eos in hunc finem consecrari. Unde cum Paulo potes dicere: Vae mihi, si non evangelizavero, si de animarum salute nihil curavero; necessitas enim mihi incumbit. Zelum tuum inflammare debet: 1.º dignitas animae, de qua S. Bern., Medit. 3: O anima, Dei insignita imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, haeres bonitatis, particeps rationis! Hinc est quòd idem dolens exclamabat: Cadit asina, et est qui sublevet eam; perit anima, et nemo est qui reputet. 2.º Excellentia operis, de quo sic S. Dion. de Coelest. Hier. c. 5: Omnium divinorum divinissimum est, Deo cooperari in salutem animarum. Plus est, inquit Richard. à S. Vict., quàm mortuos suscitare. Ex S. Chrys., nulum omnipotenti Deo tale est sacrificium. Si immensas pecunias eroges, ait idem, plus tamen efficies, si converteris animam, caram et amicam Dei possessionem.*

3.º Merces promissa quae tanta est! Qui ad iustitiam erudiunt multos, dicitur apud Dan., cap. xii, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. O quàm durum esset cor tuum, si nullo ex his commoveretur! Oratio, verbum et exemplum totidem sunt media quibus animarum salus procuratur! cuncta sedulò adhibeas, ut in fine mundi, viris apostolicis coram Domino messis cum plenis animarum manipulis venientibus, tu vacuus non appareas.

3. Domine, dilexi decorem domus tuae. (Ps. xxv, 8). En tertium zeli sacerdotalis obiectum. Maximè sacerdoti hoc convenit, ait S. Ambr., ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini resplendeat. Hinc tantùm olim hac in parte fuit S. Neopotiani studium: Erat sollicitus, inquit S. Hier., si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta; et erat in omnes caeremonias pia sollicitudo disposita. Non

*minus, non maiùs negligebat officium. Ubicumque eum quaereres, in ecclesia invenires. O exemplum viris omnibus ecclesiasticis maximè imitabile! Verùm saepiùs accidit ut privata multorum ex his domus, eorumque vestes et supellex quaesito splendore reniteant, interea dum domus Dei, et quaecumque ad sanctum cultum inserviunt, contractis ob eorum incuriam sordibus, omnium offendunt oculos. Proh pudor! Certè, carissime frater, si fidem haberes, si Deum timeres, aliter se res haberent. Resipisce quamprimum, et congruo ardeas domus Dei zelo, ut dicere aliquando possis: Domine dilexi decorem domus tuae: ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.*

## MEDITATIO VI.

## De castitate sacerdotali.

1. Considera huius virtutis excellentiam. Origine coelestis est, ex S. Bonav. Immortalis memoria illius, ex Scrip. (Sap. iv, 1). Omne aurum, ex ead. Scrip., in comparatione illius, arena est exigua. (Sap. vii, 9). Nulla virtute, ait Cassian., tam Angelis aequantur homines. In hoc mortalitatis loco et tempore, ait S. Bern., statum quemdam immortalis gloriae repraesentat. Per illam, ait S. Zeno Veron., saeculum vincitur, diabolus subiugatur, Spiritus Sanctus induitur, glorificatur Deus, Omnipotens propitiatur. O pretiosa margarita! exclamat S. Athan., beatus qui tenet te! Beatus qui, per patientiam, tibi constanter adhaeret: quoniam cum paululùm laboraverit, multa in te munera recipiet. Immortales age Deo gratias, quòd te ad tam praestantis virtutis professionem vocaverit, et super salutem ac speciem dilige illam.

2. Considera eiusdem virtutis necessitatem. Omnibus, ait S. Aug., serm. 249, de Temp., castitas pernecessaria est, sed maximè ministris altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, et quos ad sacrum ministerium admitti non sinit Ecclesia, nisi sub conditione perpetuae et approbatae castitatis. (Dist. 32, c. 12). Tales quippe decet Deum habere ministros, ait pontif. Bibl.



apost., qui nullo carnis contaminentur contagio, sed plenâ mentis et corporis castitate præfulgeant sacerdotes, ut observant SS. PP. Deo familiaribus appropinquant; incensum et panes ei offerre habent, Christi Domini corpus proprio ore conficiunt, et sacrosanctis illius carnibus quotidie vescuntur; quo igitur non oportet puriores ac sanctiores esse talibus fruente bonis? *Necesse est*, inquit S. Chrys., lib. 3 de Sacerd., cap. 4, sacerdotem sic esse purum, ut si, in ipsis coelis collocatus, inter coelestes virtutes medius staret. Vitam ergo agas integerrimè, ut non solum ab immundo opere, ait S. Hier., sed etiam à iactu oculi et cogitationis errore mens tua sit prorsus libera; sciens ex S. Chrys. quòd immunditia, quae in alio crimen est, in sacerdote est sacrilegium, et quòd soli qui puram agunt vitam, verè sunt Dei sacerdotes, ex S. Clem. Alex.

3. Considera castitatis fragilitatem non minorem videri quàm eius praestantiam: habemus enim thesaurum istum in vase fictili, quod facilè rumpitur. Prompta eius iactura, diffidilis recuperatio. *Ut integer servetur in adventu Domini nostri Iesu Christi* haec praesertim age: 1.º Castiga corpus tuum, et in servitum redige; si enim mollius tractetur, insolescet ad tuam perniciem. 2.º Modico vino utere, quia ut ait Sapiens, luxuriosa res est vinum. 3.º Non sis familiaris alicui mulieri; de vestimentis enim, ait iterum Sap., Eccli., c. XLII, procedit tinea, et à muliere iniquitas viri. 4.º Vigila praecipuè circa initium tentationis, et hostem, dum parvus est, interime. 5.º Nullum tempus feriatum habeas, sed facito semper aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum. (S. Hier.). 6.º Valdè humilia spiritum tuum; nam, ex S. Bern., ut castitas detur, humilitas meretur. Demum statutis aliquot verae pietatis actibus, Iesu et Mariae praesidium tibi consilia; haec enim, virginum cum sit regina, clientes virgines amat; ille facit. Frequentioribus ergo suspiriis ad utrumque aspiret anima tua, quoniam aliter non potes esse continens, nisi Deus det. (Sap. viii). *Cor mundum crea in me, Deus.* (Ps. L). *Virgo singularis, vitam praesta puram.*

## MEDITATIO VII.

Quòd sacerdoti frequenter vacandum sit orationi mentali, seu meditationi.

1. Considera quantopere ad pium illud exercitium impellant Scripturae. (Deut. vi). *Erunt*, inquit Deus, verba haec quae ego praecipio tibi hodie in corde tuo... et meditaberis in eis, sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. (Eccli. vi). *Cogitatum tuum habe in praecceptis Dei*, et in mandatis illius maxime assiduus esto: ipse dabit tibi cor, et concupiscentia sapientiae dabitur tibi. Et Ps. I: *Beatus vir qui in lege Domini meditatatur die ac nocte... erit tanquam lignum quod fructum suum dabit in tempore suo... et omnia quaecumque faciet prosperabuntur.* Ubi vides, 1.º quòd divinae legis meditatio iniungitur et commendatur omnibus indiscriminatim. Unde S. Prosper: *Quis*, inquit, *dubitabit Ecclesiae ministros illius posse et debere fieri sectatores?* 2.º quòd commendatur assidua et veluti continua, die et nocte. A quo implendo longè certè est qui semel saltem in die vel per mediam horam ei vacare non curat; 3.º quòd exhibetur tanquam fons et origo omnis nostrae bonae voluntatis, omnisque fructus spiritualis qui à nobis potest expectari. Ex quo consequens est eam, sine magno salutis discrimine, negligi non posse. *Fili mi, ne effluant haec ab oculis tuis.* (Prov. iii, 21).

2. Considera dicta Sanctorum circa orationem mentalem. S. Bern. l. 1, de Consid., in ea reponit pietatem: *Quid sit pietatis*, inquit, *quaeris? Vacare considerationi.* S. Bonav. docet sine illa pietatem non posse consistere: *Sine isto studio* (orationis), inquit, *omnis nostra religio arida est, imperfecta et ad ruinam promptior.* S. Aug. dicit esse pietatis nutrimentum: *Sicut*, inquit, *ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis et orationibus interior homo nutritur et pascitur.* Sanctus Chrysostomus ait: *Orationem id esse animae quod pisci est aqua;* adeoque sine oratione non magis animam vivere posse, quàm potest piscis extra aquam. S. Vincen-

tius à Paulo eam vocat clericorum gladium et defensionem: *Quod militibus gladius, aiebat ille, hoc est altaris ministerio servientibus oratio.* Atque hinc est, quòd hi et alii servi Dei tantopere huic orationis et meditationis exercitio fuerint addicti. *Per diem laborabant, dicitur in lib. de Imit., et noctibus orationi diutinae vacabant, quamquam laborando ab oratione mentali minimè cessarent.* Aemulare, frater, hunc erga orationem affectum, et noli praxim negligere ad piè iustèque vivendum tam necessariam.

3.º Considera vitam et agendi modum, seu eorum qui orationi addicti sunt, seu eorum qui de illa parùm curant. Proh! quantum hos inter et illos discriminis! Primi à gravioribus temperant peccatis, virtutem colunt, et officii sui munia ritè obeunt. Secus verò alii, qui *carnales sunt, mundani, segnes, vagi, irreligiosi, et variis servientes desideris, voluptatibus et peccatis.* Hinc intellige quàm magni momenti sit orationis et meditationis exercitio! Ex Psalt. regio: *Qui scrutantur Dei testimonia, in toto corde exquirunt eum.* Et ex Ieremia propheta: *Ideo desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Quapropter da operam ut, iuxta S. Caroli admonitionem, *in meditationis tacitæque piæ orationis studio, singulis diebus, certo temporis spatio, toto animi sensu incumbas;* memor orationem et alia pietatis exercitia propria esse tui statûs officia, secundùm istud consilium Lingon. an. 1404: *Assiduè et devotè orare, sicut et lectioni perfectè intendere, sunt opera clericorum.*

## MEDITATIO VIII.

## De bono usu temporis.

Pro fine anni.

Videte, fratres, quomodo cautè ambuletis; non quasi insipientes, sed ut sapientes; redimentes tempus. (Ephes. v.)

1. Nihil planè restat *temporis præteriti.* Quò abiere florentes anni? Quid horum superest, præter memoriam illicitarum voluptatum quibus cor contaminasti? Heu! quasi torrens fluxit vita mea, et quasi somnium præterii. Poteram thesauros coelestes sæculi quos vidisti divitiis et voluptatibus circumfluentes? *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* (Iob, xxi.)

2. *Præsens tempus* est in manibus nostris. Eo itaque sanctius utamur, quàm *præterito.* Momentum quidem est tempus præsens; sed momentum grande à quo pendet aeternitas, aut summè beata, aut summè misera. Hoc momentum requirit Deus: an ipsi denegaturus est? Etiamsi forent diuturnissima, toleranda ad Dei fruitionem, an iure conqueri posses? *Existimo enim,* inquit Apostolus, *quòd non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam,* etc.

3. *Futurum tempus* incertum est. Nescis planè numerum arenularum horologii vitæ tuæ. Non potes vel unicum momentum tibi polliceri. Infelix! Quorsum tot vana consilia! Unum accipe consilium, ne perpetuò abutaris concessio tibi tempore: *Non defrauderis à die bono, et particula boni doni non te prætereat.* (Eccli. xiv.) Hunc diem quasi supremum, hanc horam quasi ultimam, transigas. Id si sedulò quotidie feceris, nec otio, nec peccatis indulgebis. *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

## § III.

## CONSIDERACIONES

PARA CELEBRAR DIGNAMENTE, SOBRE VARIOS NOMBRES Ó TÍTULOS DE NUESTRO SEÑOR JESUCRISTO, REPARTIDAS POR LOS DIAS DE LA SEMANA.

(Sacadas del cap. vi, trat. vi de la *Instrucción de Sacerdotes* del P. D. Antonio Molina).

## DOMINGO.

*Considéralo como Dios.*

*Motivos para despertar.* Este día en despertando, pon los ojos del alma en tu Dios, que con grandísima benignidad te está conservando y dando el ser. Haz cuenta que le recibes de él en ese punto; y así, reconociéndote obligado á ocuparte siempre en sus alabanzas, levántate con este deseo de ocupar en eso todo el día y toda tu vida, diciendo: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* (Psalm. LXII, 1). *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.* (Psalm. XXXIII, 1).

*Advertencia general.* Así en esta consideracion como en las demás, todas las veces que te llegares á celebrar, imagina que ves los cielos abiertos con grandísima claridad, y á la santísima Trinidad en un trono de gran majestad y gloria, y todos los Ángeles y los Santos en sus coros cantando: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; y que todos tienen puestos los ojos con grandísimo amor y reverencia en aquel Señor, de quien reciben la bienaventuranza: y que con mucho amor esperan y desean que tú celebres estos sagrados misterios, y recibas en aquel Sacramento encubierto al mismo que ellos allá ven á las claras.

**PRIMERA CONSIDERACION.** Pues, considera lo primero, lo que pudieras alcanzar y entender de las perfecciones y atributos divinos.

*Sumario de las perfecciones divinas.* **INFINIDAD.** Aquel

Ser infinito, que, sin ninguna comparacion ni proporcion, excede todo el ser y la perfeccion de todas las criaturas, y todas ellas no bastan para comprenderle. Él solo se conoce y comprende perfectamente.

**SU ETERNIDAD** sin principio, ni fin, ni sucesion, ni mudanza en su ser. Siempre fue y es y será uno mismo y de una misma manera. Todas las demás cosas se mudan y varian: *Et sicut vestimentum veterascent... Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* (Psalm. CI, 27-28).

**SU GRANDEZA:** *Coelum et terram ego impleo. Coelum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum.* (Isaiae, LXVI, 1). Y en todas las criaturas está tan presente y tan esencialmente, como ellas mismas en sí. Y en su comparacion toda esta gran máquina del mundo no es mas que una pequeña gota de rocío, ó un granito muy pequeño de peso: *Quasi stilla situlae, et tamquam momentum staterae. Et quasi non sint, sic sunt coram eo, et tamquam nihilum et inane reputatae sunt ei.* (Isaiae, XL, 15 et 17).

**SU MAJESTAD:** á cuya presencia *Columnae coeli contremiscunt, et pavent.* (Iob, XXVI, 11). *Coelum et coeli coelorum, abyssus, et universa terra, et quae in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur... Cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur... Cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* (Ecclesi., XVI, 18, 19). *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* (Daniel. VII, 10). *Et numquid est numerus militum eius?* (Iob, XXV, 3). Y estos criados suyos no son menos que Ángeles y Serafines (Psal. CIII, 4), que el menor de todos ellos vale mas que todo este mundo visible.

**SU FORTALEZA:** *Qui respicit terram, et facit eam tremere* (Psalm. CIII, 32): *appendit tribus digitis molem terrae.* (Isaiae, XL, 12).

**SU SABIDURÍA:** *Qui numerat multitudinem stellarum; et omnibus eis nomina vocat.* (Psalm. CXLVI, 4). Conoce perfectísimamente todo lo que es, y lo que será, y lo que puede ser. *Omnia nuda et aperta sunt oculis eius* (Hebr. IV, 13), *etiam occultissima cordium.*